PRO QVODLIBETARIA, QVAESTIO MEDICA.

Matutinis excutienda disputationibus, die Iouis 6. Februarij, in scholis Medicorum Paris. D. Ioan. le Mercier, Doctore Medico, Præside.

An duo tantùm vitalis partus tempora?

NATVRA perpetuò molitur id quod est optimum. Hæc, cuncta miro artificio ac lege cōposuit, elegāti serie & ordine distinxit, motus certos cōstituit: vnum, ortus: alterum, interitus; vt generationis & partus, diuersos; sic æquales. Animalia bruta, statis tantùm ac definitis tēporibus, amoris stimulis incitātur: & vt sunt eis certa congressus, ita & partus spatia. Homo autem omni die & horâ, in amplexus venereos, magis à pastu quàm à somno, & interdiu quàm noctu noxios, paratus, quâlibet etiam anni tempestate gignit, & gignitur: nec vllis desiderium vnquàm, sed frequētiam & vsum veneris, sola ętas tādem, aut morbi, viris adimūt. Ingluuies veneri nocet: cui aptiores abstemij, vinolentis. Decens veretri proportio, & vteri εὐκρασία beatos prole parentes reddunt, si conueniat victus ratio & vtrorumque temperies. Actionum integritatis & totius corporis εὐεξίας, rarò impotentia veneris comes.

Euεξίαν sequitur generatio: quæ, non solâ transmutatione, vt in elementis (actu in mixto manentibus) sed etiam conformatione perficitur. Vtraque in semine est, & sanguine menstruo: quorum mutuâ operâ, specierum perpetuatur propagatio, cum ambo parentes æternitatis auidi, & voluptatis thyrso perciti in congressus ruunt mutuos, mulieribus (quę castrari nequeunt) quàm viris vtiliores. Hi testibus, partibus maximè principibus, distento & rigido pene, in sinum pudoris (in quo nullus vnquam virginitatis ὑμὴν) semen eiaculantur, hystericarum palloribus & alijs mulierum morbis præsentissimum remedium: illę, vtero, superfœtationem minimè admittente, incredibili seminis trahendi desiderio flagrante, quo nihil est ei magis εὐπρόσφυτον illud quasi manu arripiunt & in sinus suos recondunt. Sinu dextro, mares: sinistro, fœmellæ generantur: vtroque gemelli aut plures (neutro hermaphroditæ) monstrum nonnunquam & mola, quæ sine coitu, nulla. Illorum conceptus, in matre se prodit, colore viuido: harum, fœdo. Mas majori voluptate quàm fœmina, semen actu animatum, multò calidius menstruo, emittit. Εὐνοῦχοι interim appetunt quidem, sed languent stupidi, nec arcum possunt tendere, quo venerei belli dulcis, strenui milites, virilis animi specimen præbeant.

LONGE' optimum fuit mulieri, duo habere partus tempora, quę cœlestibus corporibus obsequerentur. Quorum magna in hęc inferiora, viget potestas, motu, calore, lumine & vi propriâ alicuius stellę aut plurium, præsertim erraticarum, inter se, aut cùm fixis iūctâ: maximè solis & lunę. Qui pro diuersis suorum cursuum motibus, diuersis etiam temporibus, suum imperium in hominem iam natum exerunt, & partubus suam clementiam plenâ manu largiuntur, aut denegant. Quò fit vt pro celeriori ac tardiori conformationis lege & astri aspectu, ocyùs, tardiùs moueantur, ac demum triplici tempore, ex quo moueri cœperunt, accedente, in lucem veniant. Quorum salubritatis, vel insalubritatis in vtero τεκμήρια. Si hęc lactis copia è mammis profluat, infirmum esse fœtum significat. Sin autem solidę succiq; plenę, saniorem. Insalubris erit Embryo, si grauidę fluant menstrua. Altera mamma si extenuetur ac gemelli sint, alterius abortus sequitur; si dextra, maris: si sinistra, fœminæ. Vterque à primo die motus, in locis, ab animâ rationali, eâque ἐντελεχείᾳ regitur.

AD fœtus conformationem multùm confert imaginatio. Hinc liberorum cum parētibus, alborum cum Æthiopibus similitudo & dissimilitudo: sæpe etiā aliunde mutuata proles, ex commaritis dignoscitur. Si prægnans, eo, cuius ardet cupiditate, minimè potiatur, illius signum geret infans, in aliquâ sui parte. Mas citiùs conformatur quàm fœmina, hęc extrà vterum celeriùs incrementa capessit. Cum genitura, à solo patre prolifica, in matris vtero permansit, calore increscit, viuitque fœtus primùm vitam plantę: deinde animalis: postremò, hominis. Qui vbi ab vnicâ animâ regitur, neque arteriarum, neque pulsuum, neque cordis functione indiget (quæ vno eodemque agitantur motu) neque primis diebus, cerebri. Speciem animalis à matre potiùs, quàm à patre suscipit: nec magis matrem quàm patrē refert. Tandemque perfectis omnibus puelluli particulis, ipse grandior calidiorque in dies, mas intrà tres menses: fœmina intrà quatuor, motum solet adipisci. Copiosius denique alimentum postulans, suo calcitratu membranas disrumpit, & viam sibi parat, exitumque quâ potest contentione quęritat; non in pedes, sed ἐπὶ κεφαλὴν, κατὰ φύσιν: hic fœliciùs: ille infœliciùs.

SED natura excessuū ac defectuum inimica, ordinis cupida, & cœlestium corporum sequax, duobus syderibus pręcipuis, & lucidissimis, conuenientes partus terminos constituit, septimum mensem & nonum. Si materia non sit ęquabilis, nec omni ex parte, eadem, dispares etiam & inæquales partus sint, necesse est. Mas si septimo mēse prodeat, vitalis erit: fœmina eam proportionem quæ ad τύπωσιν requiritur, nondum assequuta, si eodem mense edatur, vitalis, sed non diu superstes erit. Qui maturiùs quàm septimo mense, vitalis nullus. Octimestris fortè vitalis: omnium maximè nouimestris, & legitimus. Decimestris gestationis lōgissimum tempus perhibetur. Sed eadem mater prudens, vt in morbis acutis ac diuturnis, certos quosdā voluit esse limites diesque criticos, quibus soluātur, aut ingrauescāt magis, sic in mulierum gestatione & partu certum modum ac typum posuit, quos excedere non liceat; quibus secùs propè celeriùs parerent Elephanti. Vnde, quæ vltra decimum se gestare putant, caueant ne parturiat mons, nascatur ridiculus mus.

Ergo duo tantùm vitalis partus tempora.

PROPVGNABIT, ASPIRANTE DEO SIMON CVBANVS LEMOVIX, Anno Salutis 1603.

D. DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes le Mercier, Præses.
M. Michaël Toutain.
M. Stephanus Gorion.
M. Guilielmus Lescaillon.
M. Nicolaus Iabot.
M. Anthonius de Cappe, Med. Reg.
M. Ioannes Riolanus.
M. Ioannes Haultin.
M. Bartholomæus Perdulcis.

